








colorchecker CLASSIC


+



x-rite

mm

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20
(cm)



A. T. L. L.
Girardi
Rouilli
Mattei uis
Gambari
Ptolomei
Prolegomeni
Iuridica

3.

426

i
di
lli
use;
sar;
pu'i
men
dica

n° 272

XV^e Siècle. N° ~~272~~ - 726


La dernière pièce seule
est incunable.

Table des ouvrages contenus

Dans ce Recueil

- 1^o. Joannis de Spelli methodica dialectica ratio ad Juris prudentiam accomodata. pag. 1.
- 2^o. Caroli Girardus castilionensis de Juris voluntariis repurgandis. pag. 63.
- 3^o. Guillermi le Rouille et Alenconiensis justitiae et iuris scriptorum compendium. pag. 67.
- 4^o. Claudi Mallevali definitionum Civilium liber pag. 125.
- 5^o. Laurentii Claricini Gambari in iuris institutione propositio &c. pag. 145.
- 6^o. Iudicium expositio praemii institutionum Civilium qua primam Reipublice quasi formam expressit pag. 165.
- 7^o. Claudi Stolmoxi Senensis de corruptis verbis iuris Civilium dialogus. pag. 176.
- 8^o. Cabula abbreviatio arum pag. 190.






125
4^o

CLAVDII MAL-

LEVILLÆI DEFINITIO-

NVM CIVILIVM LIBER.



Victurus genium debet habere liber.

PARISIIS M. D. LIII.

Apud Guil. Morelium.

CLAVADII MATE

RE AETRI DE RINI TIO

NUM CIVITATUM ITALI



Viginti Seximma die Octobris Mense

PARISSIS MD LIII

Yong Guy Mocquart



CL AUDII MALLEVILLÆI

Definitionum ciuilium Liber.

126

3

Paciæ continētis terræ peragrare & maris periculosas nauigationes inire qui cōcupiscūt, hi ne in cursu ipso subsistat & ad cæteras itineris molestias viarum errore vagihærent, & deficiat: animo prius notatas & descriptas quasque regiones habere solent. Idque in cæteris rebus sagaci solertique naturæ ars adiuncta, facile perfecit. Nam ut ceteros omittam artifices γεωγράφοι terræ situm, vniuer si formam, partes, habitationes, populorum locorumque nomina, perspicuo ordine oculis subiecerunt: Geometrae ad innumeræ figurarum varietates, paucissimas rerum vulgo notarum definitiones explicarunt: Dialectici ad infinitam rerum multitudinem comprehendendam locos excogitarunt: Iurisprudentiæ id vnum obest, quod ars vulgo non esse creditur. Artes enim certis præceptis suisque finibus circumscriptae sunt. Iurisprudentia oborientibus & emergentibus perpetuo negotijs, nullis quasi doctrinæ metis & repagulis contingi potest: tamque late diffusa, quam hominum usus forensisque contentiones exigunt. Sed si quis ad fontes animum intendere, non riuiulos consecutari velit, certa quedam in Iure præcepta animaduertet, quorum cognitione breuique ac dilucida definitione eam disciplinâ consequatur. Hanc operam maximarum grauiissima-

IVRIS CIVILIS

rūmque disputationum capita, quasi in tabella propo-
nentes iurisprudentiæ studiosis præstimus.

DE IVRIS PARTIBVS.

Philosophiæ moralis pars est politice, cuius tota vis
in prudentia iuris cernitur: huius finis est iustitia. subie-
ctum autem siue id circa quod iurisprudētia versatur,
ius est.

Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum
cuique tribuens.

Iurisprudentia est diuinarum atque humanarum re-
rum notitia, iusti atque iniusti scientia.

Ius est ars boni & æqui.

Publicum ius est quod ad statum rei Romanæ spe-
stat.

Priuatum est quod ad singulorum utilitatem.

Ius naturale est quod natura omnia animalia docuit.

Ius gentium quo gentes humanæ vtuntur.

Ius ciuile est quod ex legibus, plebiscitis, senatuscon-
sultis, decretis principū, auctoritate prudentum venit.

Lex est quod populus Romanus senatorio magistra-
tu interrogante, veluti tribuno, constituebat.

Plebiscitum est quod plebs plebeio magistratu in-
terrogante, veluti tribuno, constituebat.

Senatusconsultum est quod senatus iubet atque co-
stituit. vel hoc modo.

Quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id
ipsius proprium ciuitatis est: vocatūrq; ius ciuile, quasi

DEFINITIONES.

127

ius proprium ipsius ciuitatis.

Quod verò naturalis ratio inter omnes homines cōstituit, id apud omnes populos perèque custoditur, vocatúrque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes vtuntur.

Ius prætorium quod prætores introduxerunt adiuuandi vel supplendi vel corrigendi iuris ciuilis gratia.

Lex est commune præceptum, virorum prudentium cōsultum, delictorum quæ sponte vel ignorantia contrahuntur coercitio, communis reipub. sponsio.

Ius singulare est quod contra tenorem rationis propter aliquam vtilitatem auctoritate constituentium introductum est.

DE PERSONIS AC REBUS.

Libertas est naturalis facultas eius quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut iure prohibetur.

Seruitus est constitutio iuris gentium qua quis domino alieno contra naturam subiicitur.

Libertini sunt qui ex iusta seruitute manumissi sunt.

Adoptio est actus legitimus naturam imitans, ad eorum qui liberos non habent solatum inuentus.

Corporales sunt res quæ tangi possunt, veluti fundus, homo, vestis, aurum, argentum.

Incorporales res quæ tangi non possunt, qualia sunt ea quæ in iure consistunt, sicuti hæreditas, ylusu fructus obligationis quoquomodo contractæ.

A 3

6

IVRIS CIVILIS
DE MAGISTRATIBVS ET IVRIS-
DICTIONE.

Magistratus hi sunt qui in potestate aliqua sunt, ve-
luti senator, cōsul, praefectus prætorio, præfectus vrbi,
quæstor, prætor, præfectus vigilum, proconsul & lega-
tus, præfectus augustalis, præses, procurator Cæsaris,
iuridicus, is cui mandata est iurisdictio, adsestor.

Iurisdictio est iudicis dandi licentia.

Merum imperium est habere gladij potestatem ad
animaduertendum in facinorosos homines, quod etiā
potestas appellatur.

Mistum imperium est cui etiam iurisdictio inest,
quod in danda bonorum possessione consistit.

In ius vocare est iuris experiundi causa vocare.

Edere est copiam describendi facere, vel in libello
complecti & dare, vel dictare.

DE PACTIS, TRANSACTIONIBVS,
ET ALIIS.

Pactio est duorum pluriūmve in idem placitum &
consensus.

Conuentio verbum generale est, ad omnia perti-
nens de quibus negotij contrahendi transigendique
causa consentiunt qui inter se agunt.

Conuentiones aut ex publica causa sunt, aut priua-
ta: priuata, aut legitima est, aut iuris gentium.

Publica cōuentio est quæ fit per principem, aut quo-
ties inter se duces belli quedam paciscuntur.

DEFINITIONES.

128

7

Legitima conuentio quæ aliqua lege confirmatur.

Iurisgentium conuentiones quadam exceptiones,
quædam actiones pariunt.

Trâfactio quasi de re dubia & lite incerta neq; finita.

Postulare est desiderium suum vel amici sui in iure,
apud eum qui iurisdictioni præst, exponere, vel alteri
desiderio contradicere.

Procurator est qui aliena negotia administrat.

Negotiorum gestorum actio vltro citróque datur.

Calumniari est falsa crimina intendere.

Vis est maioris rei impetus qui repellere non potest.
vel vis est necessitas imposita contraria voluntati.

Metus est mentis trepidatio instantis vel futuri periculi caussa.

Dolus est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumueniendum, fallendū, decipiendū alterū adhibita.

Capitis diminutio est prioris status mutatio.

DE IUDICIIS ET ARBITRIIS.

Arbitrium à iudicio distinguit Cicero, quòd iudicium est pecuniæ certæ, arbitrium incertæ.

Inofficium testamentum quod contra merita est.

Hæreditas est successio in vniuersum ius quod defunctus habuerat.

DE REI VINDICATIONE ET SERVI-

TVTIBVS.

Rei vindicatio est actio petitionis singularū rerum.

8 I V R I S C I V I L I S

Vsusfructus est ius alienis vtendi fruendi rebus, salua rerum substantia.

Seruitutes aut personarum sunt, vt vsus & vsusfructus: aut rerum, vt seruitutes rusticorum & urbano-rum prædiorum.

Seruitutes rusticorum prædiorum sunt he, iter, act, via, aquæductus.

Iter est ius eundi, ambulandi hominis, non etiam iumentum agendi.

Actus est ius agendi vel iumentum vel vehiculum.

Via est ius eundi, & agendi, & ambulandi.

Aquæductus est ius aquæ ducendæ.

D E P A U P E R I E , I N I V R I A E T N O X A .

Pauperies est damnum sine iniuria facientis datum.

In lege Aquilia iniuria est damnum culpa datum etiam ab eo qui nocere noluit.

Noxales actiones sunt quæ non ex contractu, sed ex noxa atque maleficio seruorum aduersus nos instituuntur.

Noxa est ipsum corpus quod nocuit.

Noxia est ipsum maleficium.

D E D U P L I C I B V S I V D I C I I S .

Tria sunt duplia iudicia, finium regundorum, familiæ exciscundæ, communi diuidundo. in quibus is acto est qui ad iudicium prouocauit.

Exhibere est facere in publico potestatem ut ei qui agit experiundi sit copia.

Interrogatio

DEFINITIONES.

129

Interrogatio tū necessaria est, cū in personā est actio.
Fugitiuus est qui extra domini domum fugæ causa
quo se à domino celaret, mansit.

DE REBUS CREDITIS ET CONDITIONE.

Credere dicimur cuicūque rei assentimur alienam
fidem sequuti, mox recepturi quid ex hoc contractu.

Reiverbum generale est.

Mutui datio appellata est ab eo quod de meo tuū fit.

Creditum à mutuo differt quā genus à specie.

Iusiurandum est affirmatio religiosa.

Condicere est denunciare his qui non ex iusta caus
sa possident.

Conditio, multiplex, certi, caussa nō sequuta, ob tur
pem caussam, indebiti, sine caussa, furtiva, ex lege, ar
bitraria.

Indebitum est non tantum quod omnino nō debe
tur: sed & quod alij debetur, si alij soluatur, aut si id
quod alius debebat, alius quasi ipse debeat, soluit.

DE CONSTITUTA PECVNIA ET CAETERIS CONTRACTIBVS.

Contractus est vltro citróque obligatio, quem Græ
ci οὐδὲν ἄγαν vocant, veluti emptio, venditio, locatio,
conductio, societas.

Constituere est id quod alius debet se soluturum
promittere.

Commodatum est gratuita permissio alicuius rei

vtendæ retento dominio.

Exercitor, est ad quæ obuétiones & reditus omnes perueniūt, siue is dominus nauis sit, siue à domino naue per auersionē códuxit, vel ad tēpus, vel in perpetuū.

Institor appellatus est ex eo quod negotio gerendo insistat.

Tributoria actio datur cùm dominus in distribuédo precium mercis edito prætoris non satisfecit.

Filius est qui ex viro & vxore eius nascitur. Huic quandiu in potestate est, pecuniam credere senatuscōsulto Macedoniano vetitum est.

Peculium est quod seruus domini permisso separatū à rebus dominicis habet, deducto inde si quid domino debetur, de quo aduersus dominū agi potest, vt de in rem verso & quod iussu.

Fœminis intercedere SC. Velleianū prohibuit.

Cópésatio est debiti & crediti inter se contributio.

Depositū est quod custodiendum alicui datum est.

Mádatū est rei gratuitò suscep̄t̄ officiosa præstatio.

Societas est duorum vel plurium ad quēstum participandum communicatio.

Venditio est quoties materia in qua aliquid præstatur, mutatur & alienatur.

Conductio est quando materia in qua aliquid præstatur, in eodem statu eiusdem manet.

Actio ex épto datur éptori, si res vēdita nō tradatur.

Actio ex vendito datur venditori, cui precium solu-
rum non fuerit.

Permutatio, vnius rei per alteram mutatio.

Cum deficiunt vulgaria & usitata actionum nomina, prescriptis verbis agendum est. Eadem actio interdu actio in factum, interdu actio incerti appellatur.

Pignus est res quae traditur creditori, maximè si mobilis sit.

Hypotheca est res quae sine traditione nuda conventione tenetur.

Redhibere est facere ut rursus habeat vedor quod habuerat: & quia in reddendo fiebat, idcirco redhibitio est appellata, quasi redditio.

Eiusctio est rei per anteriorem contractum aquisitæ vel in totum, vel in parte adiudicatio.

Foenus siue usura est nummorum foetus, vel quicquid ultra sortem accipitur.

Traiectitia pecunia est quae trans mare vehitur.

Instrumētorum nomine ea omnia accipiēda sunt, quibus caussa instrui potest: & ideo tam testimonia quam personæ instrumentorum loco habentur.

DE N V P T I I S.

Sponsalia sunt mentio & re promissio futurarum nuptiarum.

Nuptiæ sunt coniunctio maris & fœminæ, cōsortiū omnis vitæ, diuini & humani iuris cōmunicatio.

Diuortium dicitur quia in diuersas partes eunt qui distrahunt matrimonium.

Matrimonio autē soluto dos mulieri solui debet.

12 IVRIS CIVILIS

Imp̄esarum quædam sunt necessariæ, quædam utiles, quædam voluptariæ.

Necessariæ impensæ sunt quæ habent in se necessitatem impendendi.

Vtiles, quas maritus utiliter fecit, remq; meliorem uxoris fecerit.

Voluptariae quas maritus ad voluptatem fecit, & quæ species exornant.

D E T U T E L I S.

Tutela est vis ac potestas in capite libero constituta ad tuendum eum qui per ætatem sua sponte se defendere nequit, iure ciuili data ac permissa.

Tutores autem sunt qui eam vim ac potestatem habebant, exq; re ipsa nomen acceperunt.

Pupillus est qui cū impubes est, desit in patris potestate esse, aut morte aut emancipatione.

Tutela diuiditur in testamentariam, legitimam, & eam quæ à magistratu datur.

Testamentaria est quæ patris testamento defertur.

Legitima est quæ lege xij tabularū agnatis aut patronis defertur.

Sunt autē agnati qui per virilis sexus personas cognatione coniuncti sunt, quasi à patre cognati, velut frater eodem patre natus.

Datur autem à magistratu tutela, ut per prætorem in vrbe, in prouinciis per præsidem.

Suspectum tutorem remouere potest iudex.

DEFINITIONES.

13

His autem qui suis bonis superesse non possunt, vt
furioso & prodigo, dantur curatores.

DE TESTAMENTIS.

Testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia
de eo quod quis post mortem suam fieri voluit.

Posthumos eos dicimus duntaxat qui post mortem
parentis nascuntur.

In iustum testamentum, vbi solennia defuerūt. Irri-
tum, non adita hæreditate. Ruptum, cū posterius rite
perfectum est.

Hæredem instituere est in locū suū statuere quem
sibi post mortem velit esse hæredem.

Substitutio est secūda institutio: ea aut simplex est,
aut duplex. Simplex vulgaris dicitur, duplex pupillaris.

Vulgaris si mihi Lucius Titius hæres nō erit, tunc
Caius Seius hæres esto.

Pupillaris, filius mihi hæres esto, si hæres non erit: si-
ue hæres erit & intra pubertatem decesserit, tunc Ca-
ius Seius hæres mihi esto.

Conditio in institutionibus, legatis, fidei commis-
sis, libertatibus ad posita, si impleri non potest, pro nō
scripta habetur.

Necessariis hæredibus abstinenti ab hæreditate pro-
consul potestatem facit: seruis autem hoc non permit-
titur.

Codicillos facere potest qui testamentum potest
facere: his tamē neq; dari neq; adimi hæreditas potest.

Legatum est delibatio hæreditatis qua testator ex eo quod vniuersum hæredis foret, alicui quid legatum velit.

Rursus,

Legatum est quædam donatio testamento relictæ.

Annuum legatum est cum in annos singulos aliquid legatur.

Legari hæc possunt, vsus, seruitus, dos, optio, vinum, fundus, peculium, pœnus, supellex, alimétum, aurum, liberatio. quæ ut legari, sic adimi & trâsferri possunt.

Semper in dubiis rebus id agendum est, ut quam-
tutissimo loco res sit, bona fide contracta, nisi cum a-
perte contra leges scriptum est.

Conditio est rei in diem aut quid aliud futurum
dilatio, qua donec impleatur, legatum suspenditur.

Legata ita moderari testator debet, ne plus dodrā-
teleget, ut quarta ex lege Falcidia hæredi relinquatur.

Idem per senatus cōsultum Trebellianum in fidei-
commīssis vniuersalibus constitutum est.

Cædere diem est incipere deberi.

Adita hæreditate, vel agnita bonorum possessio-
ne legatorum vel fideicommissorum caussa, satisda-
tio ab hærede præstanta est.

D E B O N O R V M P O S S E S S I O N I B V S.

Bonorum possessio est ius persequendi retinendiq;
patrimonij siue rei quæ cuiusque cum moritur, fuit.

Si tabulæ testamēti extabunt, bonorum possessiones

DEFINITIONES.

132

extestamento dantur: vna, quæ vocatur contra tabulas: secunda, quæ dicitur secundum tabulas.

Bonorum possessio contra tabulas est quæ præteritis liberis datur.

Quam si filius emancipatus petat, æquum est ut sua bona in medium conferat.

Nōdum natis autem succurrit prætor dum vētrem in bonorum possessionem mittit. Impuberibus vero quibus & de statu & de bonis fit cōtrouersia, ex Carboniano edito dat bonorum possessionem.

Bonorum possessio secundum tabulas est, quā omnibus iurescriptis hæredibus pollicetur.

Sed & parentibus & patronis contra liberorum aut libertorum tabulas bonorum possessio datur.

Patronus est qui ex seruitute manumisit.

Operæ sunt diurnum officium.

Si autem nullæ tabulæ testamenti extabunt, & bonorum possessio neque secundum tabulas, neque contra tabulas agnita sit, ad successionem prætor vocat, primū liberos, deinde legitimos, tertio cognatos, deinde virum & vxorem.

Cognati appellati sunt quasi ex uno nati, aut ut ait Labeo, quasi commune nascendi initium habuerint.

Gradus cognitionis alij superioris ordinis sunt, alij inferioris, alij ex trāsuerso, siue à latere. Superioris ordinis sunt parētes: inferioris, liberi: ex trāsuerso siue à latere, fratres & sorores, liberiq; eorū: sed superior quidem & inferior cognatio à primo gradu incipit: ex trāsuerso

IVRIS CIVILIS

so vero siue à latere nullus est primus gradus, & ideo incipit à secundo.

Siue tabulæ testamenti extent, siue non extent, si secundum eas vel contra eas bonorum possessionem nemo accepit, intestati datur bonorum possessio.

Intestati sunt qui cum possent testamentum facere, testati non sunt.

Intestati hi gradus vocantur: primum sui hæredes, secundo legitimi, tertio proximi cognati, deinde vir & vxor.

Sui & necessarij hæredes sunt, veluti filius filia, nepos neptisue ex filio, & deinceps ceteri liberi qui in postestate morientis modò fuerint.

Ad hæreditatem ingenuæ siue libertinæ matris admittuntur liberi ex senatusconsulto Orficiano.

Mater verò seu ingenua, seu libertina ad hæreditatem liberorum, ex senatusconsulto Tertulliano.

D E N O V I O P E R I S N V N C I A T I O N E
E T D O N A T .

Nouum opus facere videtur qui aut ædificādo, aut detrahendo aliquid, pristinam faciem operis mutat.

Nunciatio autem fit, aut iuris nostri cōseruandi causa, aut damni depellendi, aut publici iuris tuēdi gratia.

Damnum infēctum est damnum nondum factum quod futurum veremur.

Aqua pluuiia est quæ de cœlo cadit atque imbre excrescit, siue per se hæc aqua cœlestis noceat, siue cum alia mista.

Publicani sunt qui publico fruuntur: nam inde nō men habent: siue fisco vctigal pendant, vel tributum consequantur, & omnes qui quid à fisco conducunt, recte appellantur publicani.

Donationes plures sunt: dat aliquis ea mente vt statim velit accipientis fieri, nec vlo casu ad se reuerti, & propter nullam causam aliam facit, quām vt liberalitatem & munificentiam exerceat.

Mortis causa donatio existimatur fieri, vt ait Antistius Labeo, quæ ita fit vt morte pmissoris cōfirmetur.

D E M A N V M I S S I Q N I B V S.

Manumissio est de manu datio.

Fideicommissaria libertas est quā testator fidei hēredis sui commisit.

Statuliber est is qui statutā vel destinatam in tempus vel conditionem habet libertatem.

Liberalis causa est quę de libertate instituta siue quis ex seruitute in libertatem se afferat, siue ex libertate in seruitutem petatur.

D E A C Q VIRENDO RERVM DOMINIO.

Dominiū ius est in re corporali, quo quis de eare, suo arbitrio disponere potest.

Possessio appellata est à sedibus quasi positio, quia naturaliter tenetur ab eo qui ei insistit.

Vsurpatio est vsucaptionis interruptio. oratores autem usurpationem frequentem usum vocant.

Vsucapio est adiectio dominij per continuationē possessionis temporis lege definiti, pluribus autem, vt vocat, titulis procedit vsucapio: vt pro soluto, pro em-

IVRIS CIVILIS

ptore pro hærede, pro donato, pro derelicto, pro legato, pro dote, pro suo.

DE RE IUDICATA ET INTERDICTIS.

Res iudicata dicitur quæ finem controversiarum pronunciatione iudicis accipit.

Confessus pro iudicato habetur.

Bonis cædi non tantum in iure, sed extra ius potest.

Tres fere causæ sunt ex quibus in possessionem mitti solet: rei seruandæ causa, legatorum seruandorū gratia, & ventris nomine.

Venire ibi bona oportet, ubi quisque defendi debet.

Quæ in fraudem creditoris alienantur, ea reuocantur prætoris edicto.

Interdicta sunt formæ atque conceptiones verborū, quibus prætor aut iubet aliquid fieri, aut prohibet.

Interdictorū quedā ad ipsendæ possessionis causa cōparata sunt, quedā retinendæ, quedam recuperadæ.

Exhibere est materię ipsius apprehendendę copiam facere.

Restituere est in pristinum statum reducere.

Vi factū videri quintus Mutius scripsit, si quis cōtra quam prohiberetur fecerit.

Clam facere videri Cassius scribit eum qui cœlavit aduersarium, neque ei denūciauit si modo timuit eius controversiam, aut debuit timere.

Precarium est quod precibus petenti vtendum cōceditur tandem quandiu is qui concessit patitur.

DE EXCEPTIONIBVS.

Exceptio dicta est quasi quedā exclusio quæ inter-

poni actioni cuiusq; rei solet, ad excludendū id quod in intentionem condemnationem ve deductum est.

~~Replicationes nihil aliud sunt quam exceptiones,~~
 & à parte actoris veniunt: quæ quidē ideo necessariæ sunt, ut exceptiones excludant. vel hoc modo,

Exceptio est conditio quę modo eximit reum dānatione, modo minuit damnationem.

Replicatio est cōtraria exceptio & quasi exceptionis exceptio.

Exceptiones aut temporales sunt & dilatoriæ, aut perpetuæ atque peremptoriæ.

Temporales sunt quæ non semper locum habent, sed euitari possunt, qualis est pacti, conuentiē poralis.

Perpetuæ atq; perēptoriæ, quæ semper locū habēt, nece uitari possunt, qualis est rei iudicatæ, doli mali.

Præscriptio vulgo definitur exceptio ex tempore causam trahens.

DE ACTIÖNIBVS ET OBLIGATIONIBVS.

Nihil aliud est actio quam ius quod sibi debetur iudicio persequendi.

Actionū genera sunt duo, in rem, quæ dicitur vindicatio: & in personam, quæ conditio appellatur.

In rem actio est per quam rem nostrā quæ ab alio possidetur petimus, & semper aduersus eum est qui rem possidet.

In personam actio est, qua cum eo agimus qui obligatus est nobis ad faciendum aliquid vel dandum, & semper aduersus eundem locum habet.

Actiones quædam ex contractu, quædam ex peccato, quædam in factum sunt.

Ex contractu, quoties quis lucri sui causa cum aliquo contrahit.

Ex peccato, quoties ex eo teneri quis incipit, quod ipse admisit.

In factum, qualis datur patrono aduersus libertum.

Omnes actiones aut ciuiles dicuntur, aut honorarie.

Obligatio est iuris vinculum quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendæ secundum nostræ ciuitatis iura.

Obligationes aut ex contractu nascuntur, aut maleficio, aut proprio quodam iure ex variis causarum figuris.

Obligationes ex contractu, aut re contrahuntur, aut verbis, aut consensu.

Verbis obligatio contrahitur ex interrogacione & responsione, cum quid dari fieri nobis stipulamur.

Stipulatio est verborum conceptio quibus is qui interrogatur, daturum facturum ve quod est interrogatus respondet.

Satisfactio est stipulatio quæ ita obligat promisforem, ut ad promissores quoque ab eo accipientur qui idem promittant.

Stipulationum quædam in dando, quædam in faciendo consistunt: & harum omnium quædam partium præstationem recipiunt, quædam non recipiunt.

Stipulationum aliæ iudiciales sunt, aliæ prætoriæ, aliæ cœutionales, aliæ cœmunes, prætoriæ & iudiciales.

Iudiciales sunt quæ à mero iudicis officio proficiuntur, veluti damni infecti.

Conuentionales, quæ ex conuentione reorum fiūt.

Cōmunes sunt stipulationes, veluti rem saluam fore pupillo.

Qui stipulatur, reus stipulādi dicitur, qui promittit reus promittendi habetur.

DE FIDEI VSSORIBVS ET NOVATIONIBVS ET SOLVTIONIBVS.

Fideiubere est pro alterius debito fidē suā obligare.

Nouatio est prioris debiti in aliam obligationem vel ciuilem, vel naturalem transfusio atque translatio.

Delegare est vice sua alium reum dare creditori, vel cui iussserit.

Verborum obligatio aut naturaliter resolutur, aut ciuiliter.

Naturaliter, veluti solutione, aut cùm res in stipulatū deducta sine culpa promissoris in rebus humanis esse desit: ciuiliter, veluti acceptilatione, vel cù in eandem personam ius stipulantis promittentisq; deuenit.

Solutionis verbum pertinet ad omnem liberacionem quoquo modo factam.

Acceptilatio est liberatio per mutuā interrogacionem qua vtriusq; contingit ab eodem nexu absolutio.

DE PRETORIIS STIPULATIONIBVS.

Pretoriarum stipulationū tres sunt species, iudiciales, cautionales, & cōmunes. Iudiciales sunt quæ propter iudiciū interponūtur, vt ratū fiat, vt iudicatū solui.

Cautionales quę instar actionis habent & vt sit no
uatio intercedunt, vt ratam rem habere.

Cōmunes sunt quæ fiunt iudicio sistendi causa.

Stipulatione rē pupilli saluam fore tenetur tutor,
& qui pro tute negotia gessit, & eorum fideiussores.

Indicatū solui stipulatio tres clausulas in vnū colle
ctas habet, de re iudicata, dere defēdēda, de dolo malo

Rem ratam haberi, hoc est comprobare agnoscere
que quod actum est à falso procuratore.

D E P R I V A T I S D E L I C T I S.

Priuatum delictum est quo nobis aliquid dari pro
maleficio in nos commisso petimus, quale est furtum,
iniuria.

Furtum est contrectatio fraudulosa, lucri facien
di causa, vel ipsius rei, vel etiā usus eius possessionis, ve
quod lege naturali prohibitum est.

Furtorum duo genera sunt, manifestum & nec ma
nifestum.

Iniuria est id omne quod non iure fit.

Extraordinaria crimina appellātur, propterea quod
extra ordinem puniuntur.

Abigei sunt qui pecora ex pascuis, vel ex armentis
subtrahunt.

Prēvaricator est quasi varicator, qui diuersam par
tem adiuuat prodita causa sua.

Si quis alienam hereditatem expilauerit, per accu
sationem expilatæ hereditatis coercetur.

Quod in priuatis iudiciis est de dolo actio, hoc in

DEFINITIONES.

136

criminibus stellionatus prosequutio.

Eam popularem actionem dicimus quæ suum ius populo tuetur.

D E P V B L I C I S I V D I C I I S.

Publica iudicia sunt quæ ex legibus publicorum iudiciorum veniunt. ut ex lege Iulia maiestatis, Iulia adulterij, Cornelia de sicariis & beneficiis, Pompeia parricidij, Iulia peculatus. Cornelia de testamentis, Iulia de vi publica, Iulia de vi priuata, Iulia ambitus, Iulia de annona, Fabia de plagiariis.

Tergiuersari est in vniuersū ab accusatione desistere.

Quæstio est veritatis per tormenta indagatio.

Pœna est noxę vindicta: & sunt pœnæ, quæ aut vitam adimunt, aut seruitutem adiungunt, aut ciuitatem auferunt, aut exilium, aut coercitionem corporis continent, aut damnum cum infamia, aut dignitatis alicuius depositionem, aut alicuius actus prohibitionem.

D E A P P E L L A T I O N I B V S.

Appellatio est, qua per prouocationem ad superiorem iudicē prioris sententiæ extinguitur pronūciatio.

Fiscus est pecunia publica.

Postliminium est ius amissæ rei recipiendæ ab extraneo, & in statum pristinum restituendæ inter nos & liberos populos, regesq; moribus, legibus cōstitutum.

Municeps est, vt ait AElius Gallus, qui municipio liber natus est.

Incola qui in aliquā regionē domiciliū suū cōtulit. Decuriones quidā dictos aiunt, ex eo quod decima

pars eorum qui in colonias deducerentur, consiliij publici gratia conscribi solita sit.

Munus aut publicum est, aut priuatum.

Publicū munus est quod in administranda repub. cum sumptu sine titulo dignitatis subimus.

Munerum ciuilium quædam personalia sunt, quædam patrimoniorum, quædam mista.

Personalia sunt, quæ animi prouisione & corporalis laboris intentione, sine aliquo gerentis detimento perpetrantur.

Patrimoniorum quæ sumptibus patrimonij & dannis administrantis expediuntur.

Mista munera sunt ~~de rebus corporiis, ei rebus corporiis~~, nam & corporale ministerium gerunt, & pro muneribus defunctorum, fiscalia munera resarciant.

Pactum est duorum consensus atque conuentio.

Pollicitatio offerentis solius promissum.

Bona nostra sunt, non solum quæ dominij nostri sunt, sed et si bona fide à nobis possideantur: vel si superficiaria sint, & si quid est in actionibus, petitionibus persecutionibus. Nam hæc omnia in bonis esse vindicantur.

Regula est quæ rem quæ est breuiter enarrat, non ut ex regula ius sumatur, sed ut ex iure quod est, regula fiat.

EXCVDEBAT GV. MORELIUS,

PARISIIS, M. D. LIII.

CLAVDII MALLEVILLÆI

Definitionum Iuris Pontificij Liber.

Multa & varia artium genera à veteribus inuenta & descripta sunt, quibus suam dignitatem hominum genus à brutorum animantium inertia facile vindicaret. Harum aliæ in nudis inanimisque & ad humanâ societatem cōstituēdam ex cogitatis operibus constitere: aliæ non ultra rerum contemplationem hominisque naturam suas præceptio nes protulere: aliæ rerum diuinarum scientiam vmbra tantum & verborum inuolucris attigere: sed ita ut ab his veræ sapientiæ studium haurire nemo posset. Iuris canonici disciplina, & religionis constitutione, & rerum sacrarum cognitione cæteris antecellit. Cuius studium cum & dignitate præstans & quotidiano rerum forensium usu sit necessarium, plerique tamen lumen nisi fallor, aut politiorem ornatum desiderantes auersantur. Quamobrem omnibus in unum coactis huius artis disputationibus, earum definitiones explica ui, ut quam commodissime cuiusq; verbi vis & rei natura euolueretur. Cumque omne ius pontificium, in duo præcipua volumina veteres scriptores contulerunt, quorum alterum Pandectis, alterum Codicinō in epte assimilari posse, Decretales epistolas tanquam futuri operis simulacrum & exemplum proposui, ut ab his faciliorem ordinem transferrem, & me com-

D

modiorem studiosis præberem explicatorem.

DE PARTIBVS IVRIS PONTIFICII
EARVMQVE DEFINITIONIBVS.

Ecclesiasticum ius quod vulgò canonicum, ab alijs pontificium nūcupatur, duobus primū, mox aliis superadditis tribus libris illius authores descripsere, à Gratiano Decretum, à Gregorio Decretales epistole, à Bonifacio Sextus, à Clemente vulgò dictæ Clemétinæ, ab Ioanne Extraugantes emanarunt.

Decretum est sententia Pontificis, aut concilij, aut cuiusluis ecclesiastici scriptoris Christianorum auctoritate cōfirmata. Canon interdum seu regula dicitur. tribus constat, distinctione, causa, & consecratione.

Distinctio est sectio seu separatio quam Græci ~~υ~~
~~μεν~~ vocant.

Causa est, cum certarum personarum, temporum, cæterarūmque circumstantiarum interpositione, Græci ~~τασθαι~~ vocant. ad causam refertur quæstio quæ est dubitabilis propositio.

Consecrare est simul sacrare.

Decretalis epistola est pontificis ad alicuius relationem de re dubia constitutio.

DE PONTIFICIIS C O N S T I T U T I O
N I B V S , O R D I N I B V S E T D I G N I -
T A T I B V S E C C L E S I A S T I C I S .

Fides Catholica est vnum Deū in trinitate & tri-

nitatem in unitare venerari.

Constitutio est quod pontifex statuit.

Rescriptum est quod ob alicuius relationem vel gratiam à pontifice emittitur.

Consuetudo est ius moribus uterū approbatū.

Postulatio est qua minus idoneus sibi gratiam ad beneficium consequendum fieri postulat.

Electio est per quam aliquis ad præfecturam seu ecclesiasticam communicationem vocatur.

Translatio est ecclesiæ authoritate pōtificis mutatio.

Pallium est insigne & ornamentū Archiepiscopi.

Renunciatio est cessio iuris sibi competentis.

Negligentis prælati vices aut superior, aut substitutus supplere potest.

Sacri ordines quatuor temporibus conferri debet.

Ad quos promoueri nullus potest, quin de illius conditione ab archidiacono sit inquisitum.

Excommunicatus aut qui episcopatui renunciat, sacros ordines conferre non potest.

Minor quatuordecim annis ecclesiæ præficiēdus non est, similiter qui aut doctrina, aut moribus est indignus.

Sacra uocatio aliter pontifici, aliter principi datur.

Sacramenta dicuntur, quia sub tegimento corporalium rerum diuina virtus secretius salutem operatur.

Sacramenta iterari nō debent.

Nō promouentur ad sacros ordines filij presbyterorum, serui, Reipub. debitores, corpore vitiati, diga-

I V R I S O P O N T I F I C I I

mi, id est duas vxores habentes, clerici peregrini.

Archidiaconus princeps seu primus diaconus.

Diacon^o sacerdotum minister, hypodiaconus diaconorum minister.

Archipresbyter est presbyterorum primus seu princeps horum alii urbani sunt, alii vicani.

Primicerius qui disciplinæ & custodiæ diaconorum cæterorumque insistit.

Sacrista est qui rerum sacrarū custodiam habet.

Custos est domus dei minister.

Vicarius est, qui personis & ecclesiis deseruit.

Delegatus est qui accepta à pontifice potestate iudicat.

Legatus Romani pótificis, aliis Cardinalis qui vulgo à latere, aliis prouinciam commissam habens, aliis qui à vulgaribus natus dicitur.

Ordinarius iudex est, qui ordinario suoque iure iudicandi potestatem habet.

Interest cuiuscunque iudicis patronos litigantibus dare.

Dignitatum & honorum gradus quidam sunt qui bus minus honoratos honoratioribus parere diuina lex & humana æquitas suadet.

Inducie quas treugam vocant, sunt securitas ex belli ad præstitutum tempus dilatione.

Pactum ut huius juris authores definiunt, est inter partes ex pace conueniens, scriptura, legibus, ac moribus comprobata.

Transactio est de re dubia & lite incerta pecuniae aut alterius rei interuentu pactio.

Clericus in forensibus causis prohibetur postulare.

Per procuratorem ei agere licet, qui suis causis non potest adesse.

Syndicus est qui reipub. aut vniuersitatis seu collegij res gerit.

In integrum restituere est honoribus ordini certisque omnibus restituere.

Alienatio est omnis contractus per quem rei dominium transfertur, quæ si ad mutandum iudicium fiat, eo tamen iudicio non liberat.

Arbiter est quasi iudex litigantium consensu certa pœna electus.

DE IUDICIIS ET IIS QVAE AD

IUDICIVM PERTINENT.

Iudicium est iuris & iniuriæ diiudicatio.

Forum est vniuersitas agrorum intra fines cuiusque iudicis.

Libellus est inscriptio actoris intentionem comprehendens.

In mutua petitione iudicis est utriusque causam sua sententia determinare.

Litem contestari est litem in iudicium deducere.

Lite non contestata testes interrogari non debet. nam nemo de suo iure ante iudicium respondere cogitur.

Iuramentum calumniæ est, quo quis se nihil calu-

mniose factum affirmat.

Dilatio ut ait Donatus, est diei prolatio.

Ferię quasi festae ut author est Sextus Pompeius Fe
stus. sic enim dicti dies in quibus quies seu cessatio ab
opere esset.

Ordo cognoscendarum causarum is est, ut de exce
ptione rem principale perimente primū cognoscatur.

Plus petitur causa, re, loco & tempore.

Causa proprietatis & possessionis eodem iudicio
possunt terminari.

Ante omnem contentionem possessio ablata resti
tuenda est.

Cōtumax est quatribus propositis edictis, vel uno
pro tribus euocatus presentiam sui facere contemnit.

Missus in bonorum possessionem per lapsum anni
rei possessionem acquirit.

Lite pendente possessio reo auferenda non est.

Sequester dicitur apud quem plures eandem rem
de qua controuersia est, deposuerunt.

Confessio in iudicio facta nocet confessio.

Probare generaliter est rationibus aut instrumen
tis rei dubiae fidem facere. Proprie autem probatio id
omne est quod ab aliqua re externa sumitur ad faciē
dam fidem, qualia sunt testes, instrumenta, iuriū.

Testimonium seu attestatio, est oratio illud quod
dicitur ita esse confirmans.

Ad testimonium etiam inuitus compellēdus est.

Instrumentum est scriptura causam instruens.

Presumere est sine probatione aliquid p̄ vero habere.

Iurare hic vulgo definiunt esse aliquid deo teste dicere.

Testis per exceptionem criminis à testimonio repellitur.

Aduersus ecclesiam minor prescriptio quam quadrageinta annorum non admittitur, aduersus Romanam centum annorum.

Sententia est pronunciatio iudicis absolutionē aut condemnationem continens à qua appellari potest.

Toties appellare quis potest, quoties se prægraui putat, aut iudicem suspectum habet.

Peregrinantium res pontifex protegit.

Confirmatio quā alq̄s cōtra ius obtinuit irrita est.

DE CLERICIS E ORVM Q VE C O N T R A C T I B V S E T S A C R A M E N T I S.

Clerici dicti, ut inquit diuus Hieronymus, vel quia de sorte domini, vel quia dominus ipse sors id est pars clerici est: à rebus autem indecoris omnīque inhonesto ornatu clericus abstinere debet.

Clericis prohibitū est ne cū mulierib⁹ cohabitent.

Clericus matrimonium contrahens, ab ecclesiaistica dignitate remouetur.

Clericus ab ecclesia absens, id est non residens, beneficio spoliatur, nisi studiorum causa, aut alia legitima sit immunis.

Præbenda est fructus, seu redditus qui canonicis ob functionem in ecclesia præstatur.

Non obstat valetudo, quin beneficiarius integros beneficij sui fructus percipiat.

Instituere est statuere eū qui beneficio aut ecclesiæ preficiatur.

Beneficia priusquam vacent cōferēda non sunt, ne sit futuræ successionis expectatio.

Si sedes episcopi vacet, neq; innouari aliquid, ne que beneficium in quo ius habet, conferri potest.

Vendere aut alienare episcopus nihil potest, nisi clericorum illius ecclesiæ conuentu subscribente & consentiente.

In clericorum certę ecclesiæ conuentu quę vulgò capitulum vocant, maior pars minori pr̄ponderat.

Lateranensi concilio prohibitum est, ne quis conferens beneficium, illius partem suis vīsibus retineat.

Nullilicet rem ecclesiæ immobilem alienare.

Alienationis autem verbum continet conductio-
nem, donationem, vēditionem, permutationem, em-
phyteuticum, perpetuum contractum.

Precaria appellatur ab authoribus huius artis, con-
tractus quo alicui res in quinque annos precibus vtē
da datur.

Cōmodatarius de leuissima etiam culpa tenetur.

In dolo est depositarius, si rebus suis saluis existen-
tibus depositas amisit.

Vendor vltra dimidiam iusti precij circumuen-
tus

DEFINITIONES.

33

uentus agere potest ut aut res sibi restituatur, aut iustū
precium suppleatur.

Locari decimarum prouentus possunt: locationē
autem superueniens sterilitas ipsa æquitate minuit.

Beneficiorum permutatio iure pontificio permis-
sa est, & si quis in ea deceptus est, restituitur.

Feudum ius est in re immobili ob militare obse-
quium tradita.

Res ecclesiastica pignori dari nisi iustissima vrge-
at necessitas, non potest.

Religiosi fideiubere prohibetur: cæteri clerici, si
fideiussent, obligantur.

Qui beneficio succedit, æs ob utilitatem ecclesiæ
contractum soluere tenetur.

Ecclesiæ donans sibi præstandi legem ac necessi-
tatem imponit.

Peculium est patrimonium clericorū, vel id quod
clericus separatum habet à rationibus ecclesiasticis.

Testamētū pie factū duobus cōfirmatur testibus.

Intestatis clericis succedit ecclesia.

Sepulchrū est vbi corp' ossa ve hominiscōdita sūt.

Parœcia definiri potest locus populum alicui ec-
clesiæ assignatum comprehendens, à verbo παροχή
id est incolere, vnde παροχος. non inepte etiam ex vul-
gisententia parochia dici potest ἡπειρον παροχης id est
à largitione.

Decima ius est decimæ portionis omnium fru-
ctuū à beneficiario consequendæ.

Regularis est qui se paupertate, castitate, obsequio,

cæterisque monasticis votis obstrinxit.

Coniugatus monasticæ vitæ se addicere non potest, nisi vxor continentiam sibi indixerit.

Couersum à Iudaismo in Christianam fidé liberi patrem sequuntur.

Votum est promissio facta deo, vel ut ait Cicero, sponsio qua obligamur deo.

Monachi neque precio recipi, neque peculium habere debent.

Religiosæ domus omniāque pialoca episcopi auctoritati subsunt.

Ecclesiæ, seu ut vocat, capellas regere monachi nō debent, sed qui ab episcopo sunt instituti.

Patronus est in iure pontificio, qui erexit, dotauit vel fundauit ecclesiam.

Exactio est tributum quod extra ordinem à parochianis præstatur.

Ecclesia est Christianorum cōuetus: obtinuit autē iure pótificio ut pro loco in quem Christiani religiosis causa conuenirent, usurparetur.

Mssæ sacrificium nomen habet ab oblatione. hoc enim verbo Hebræi oblationem significant. semel autem hoc sacrificium in die peragere sacerdos debet.

Eucharistia est panis & calicis sacramentum.

Baptismus est character animo impressus per extiorem hominis ablutionem, certa verborum forma conceptam.

Quo sacramento carens ad ordines promoueri nō potest, & si promouetur, characterē sacri ordinis nō

recipit.

Chrisma ut author est Innocentius, à Christo dicitur, cuius & sacræ eucharistiae aliorumque sacramentorum summa esse debet & diligens custodia.

Sanctorum ac diuorum numero adscribi quis non potest, sine Romani pontificis autoritate.

Ieiunium est abstinentia à cibis, Christi exemplo, ecclesiæ autoritate confirmata.

Mulier post partum ab ingressu templi non prohibetur, quanuis olim prohibuerit Moses.

Beneficiarij & cæteri qui ecclesijs præfunt, eis reficiendis sunt obnoxij.

Ecclesiæ ab hospitio ceterisque oneribus sunt imunes.

Negocium seculare est actus rei alicuius secularis clericis interdictus.

DE SPONSALIBVS , NVPTIIS ET CAV- SIS QVAE NVPTIAS IMPEDIVNT.

Qui de matrimonio contrahendo conuenerunt ad præstitam fidem seruandam, sunt compellendi.

Despondere in puberē filium pater cui vult potest.

Clandestinæ desponsationis probatio viro incubit.

Contrahens cum duabus adhærere primæ debet.

Matrimonium per conditionem contractum ante conditionis eventum non confirmatur. ;

Diaconatus & hypodiaconatus, item votum sole ne matrimonium impediunt.

Canonib' prohibitum est, ne quis eam sibi matri-

monio adiungat quam polluit adulterio.

Superueniente lepra non dirimitur matrimonium.

Coniugium seu connubium est vxoris iure ducendæ facultas, quam seruus inuito domino habet.

Liber est siue quis nascatur ex libera, siue ex libertina muliere.

Cognatio sacra seu spiritualis est quæ per sacri fontis ablutionem contrahitur.

Cognatio ciuilis seu legitima est quæ per ciuilem modum veluti per adoptionem contrahitur.

Consanguinitas superueniens matrimonium iam contractum non dirimit: aliud de sponsalibus dicendum est.

Consanguinei sunt qui sanguine inter se connexi sunt: nuptiæ autem intra quartum gradum consanguinitatis iure pontificio prohibentur.

Affinitas est personarum qualitas, quæ citra cognitionem nobis ex nuptijs coniunguntur.

Frigiditas aut aliud quodvis naturale obstaculum matrimonium remoratur.

Contra interdictum ecclesiæ contrahentibus pœnitentia imponitur.

Naturalis fili⁹ subsequente matrimonio fit legitim⁹.

Et accusatores, & testes in matrimonio consanguinei esse possunt.

Diuortiū duobus modis contingit. aut enim ita distractetur matrimonium vt ad aliud migrare possint, vt propter frigiditatem: aut ita distractetur, vt ad alias migrare non queant nuptias, vt propter adulterium.

DEFINITIONES.

37

143

Sicut dos soluto matrimonio ad mulierem, sic do-
natio propter nuptias ad virum redit.

Ad secundas nuptias conuolans benedici à sacer-
dote non debet.

DE ACCUSATIONIBVS ET POENIS ECCLESIASTICIS.

Accusator ut huius iuris authores definiunt, est
qui ad caussam vocat eum quem appellat.

Calumniator ab officio priuatur, & pro criminis
obiecti qualitate plectitur.

Simonia est studium rei sacræ aut emendæ aut vē-
dendæ, dicta à Simone mago.

Episcoporum vices aut ecclesiarum administratio-
nes pretio addici nō debent, securis in fructibus.

In ecclesijs præficiendi sunt qui clericos egentes
sine precio erudiant.

Iudæis & Sarracenis Christianorum commerciū
interdicitur

Hæreticus ut author diuus Augustinus, est qui ali-
cui temporalis commodi vel maxime vanæ gloriæ
principatusque sui gratia, falsas vel nouas opiniones
vel gignit, vel sequitur.

χιρου à Græcis dicitur scissura . quisquis itaq; per
errorem aut confictam hæresin se ab ecclesiæ corpore
quasi abscondit & separat, schismaticus appellatur.

desertus à Græcis dicitur, Latine desertor, quo no-
mine iure canonico significatur is qui à religionis vo-
to aut ordine ecclesiastico recessit.

I V R I S P O N T I F I C I I

Parentibus qui filios seu sponte seu fortuito occiderunt, pœnitentia pro criminis conditione ac circumstantia imponitur.

Infans à patre vel eo consentiente expositus, patria potestate liberatur.

Si quis hominem spōte & per insidias necarit, mortis suppicio afficitur.

Qui in publicis spectaculis seu certaminibus quæ vulgares torneamenta appellant, occubuerit, ecclesiasticæ sepulturæ honore caret.

Duellum est duorum certamen: in quo clericus pugnans ab ordine deponitur.

Sagittarum usus aduersus Christianos sub anathemate prohibetur.

Adulterium in nupta admittitur, stuprum in vidua aut virgine.

Raptor est fur manifestus.

Qui hominē furatus eundem vendiderit, capite plectitur.

Quævis usura iure canonico prohibita est: adeo ut fœnator manifestus à communione altaris & ecclesiastica sepultura arceatur.

Falso crimine tenetur & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit.

Sortilegi sunt, ut definit Gratianus, qui sub nomine fictæ religionis per quasdam sortes diuinationis scientiam profitentur.

Collusio, ut definiunt iuris canonici interpretes, est latens & fraudulenta conuentio inter auctorem & reū.

DEFINITIONES.

Impuberis in omnib^o criminib^o excepto adulterio
deliquere putatur, leuius tamē puniūtur quā puberes.

Clericis venatio est inhibita.

Clericus percussor aut Episcopus formidari volēs
coercendus est.

Maledicens Romano episcopo, à temeritate est
compescendus.

Clericus excommunicatus contra interdictum, ec-
clesię ministrans auellitur ab ecclesia.

Clericus ad sacros ordines non promotus, si usur-
pare sacros ordines attentat, promouendus non est,
sed ab ecclesię auellendus.

Defectuose, vulgo per saltum, promoueri dicitur
qui non per omnes inferiores ordines ad presbyterij
dignitatem ascendit.

Furtive ordines suscepisse dicitur, qui sine doctri-
næ inquisitione, & calato ac ignorantie episcopo sus-
cepit.

Episcopus & quisquis alius ecclesiæ p̄f̄est, exactio
nibus aut alijs onerib^o subditos opprimere nō debet.

Post noui operis nunciationem siue ecclesia, siue
quid aliud sit ædificatum, demoliendum est.

Priuilegia, vti definiunt authores huius iuris, sunt
leges priuatorum, quasi priuatæ leges. nam priuilegiū
dictum est eo quod in priuato feratur.

Purgatio canonica est qua quis innocentem se for-
ma à canonibus instituta probat.

Purgatio vulgaris est, qua quis innocentem se pro-
bat, aut duello, aut alia re, cuius fortuitus est euētus, ca-

nonibus prohibita.

In iniuria operę & impensę in medicos præstan-
dæ sunt: in damno & pauperie, æstimatio.

Pœna est, vt inquit diuus Augustinus, læsio quæ
punit vindicans quod commisit. In iure autem cano-
nico varia pœnarum genera definita sunt. Nam & à
sacris summovent, & hominum consuetudine inter-
dicunt: excommunicationem vulgo appellant. aut
presbyterii sacramento soluūt & quasi exauthorant,
degradationē vulgo dicunt: aut à ministerio seu ad-
ministratione arcent, aut omnium locorum interdi-
cunt, & in monasterium veluti in insulam relegat, aut
in carcerem coniiciunt, & cæteræ his similes.


Pœnitētia, vt definit diuus Augustinus, est quædā
dolētis vindicta puniēs in se quod dolet commisisse.


Excommunicatio, vt ex Ioanne pontifice scribit
Gratianus, differt ab anathemate: quod excommunica-
tio à fraterna societate, anathema ab ipso Christi cor-
pore rescindit.


Nouale estyt definit D. Hieronymus, ager nūc pri-
mum præcisus.

Omnis res per quascunque causas nascitur, per eas-
dem dissoluitur.









A
C
R
M
G
P
I





